



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Semper Gavdendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1664**

Tractatus XII. Ostenditur quod qui suo statu contentus est, etiam iis bonis  
& malis quae illum statum constituunt, debeat acquiescere. Hoc est,  
dignitati, opificio, opulentiae, parcitati bonorum, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13517**

## TRACTATUS XII.

Seruus vocatus es? non sit tibi curæ.... qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Vnusquisque in quo vocatus est fratres, in hoc permaneat apud Deum 1. ad Cor. 7.

*Ostenditur, quod qui suo statu contentus est, etiam iis bonis & malis, quæ illum statum constituunt, debere acquiescere; hoc est dignitati, opificio, opulentia, parcatati bonorum, paupertati &c.*

## P R O O E M I V M.

**P**aulatim quieti nos damus. Vinum dolio recenter infusum, tam diu agitur calore indito, & ebullit, donec fæces omnes ex imo eduxerit: defæcatum cum fuerit, quiescit, interque suos limites tranquillum stat. Quamdiu, Auditores, in animo turbatur quidpiam, turbatur totum; & vbi vnum tantum præter rationem efferuescit desiderium, in illo animo tranquillum est nihil. Illud egimus, statui tuo acquiescere vt velis, ac proinde omnibus quæ te ad hunc statum deuexere euentis. Acquiescis, vt video, & si rectè rationem in eo, vinum in caueam recondidi. Verum vt mustum recens est, ebullire illud rursus paulatim video, neque satis arridere paucula quædam quæ statum tuum afficiunt. Et quidem varij proferrunt varia. Alij enim conditionem suam paulò difficiliorem quàm par est, laboribusque plusculum expositam dolent: alij plus paululum honoris; alij diuitiarum aliquid plus adijci debuisse, aliquid etiam valetudinis & roboris, rectè vt se haberent omnia;



omnia, commodèque conditionis suæ partes omnes explere vt possent. Ego certè querimonias omnes libens inaudiero, vt illas componam. Illudque ostendam, iniurias esse has Deo voces; rursus verò maximum esse errorem credere, vel teruncium, vel festucam tuo statui deesse; omnia conditioni tuæ ferendæ exactissimè esse adaptata, tibi que conuenire, si tu statui adaptare te possis. Itaque si tuo statu contentus es, illud illico consequitur, ijs te debere acquiescere, quæ statum tuum constituunt, & sine quibus non est Tuus.

## §. I.

*Vt statui tuo plenius acquiescas, magis ostenditur optimè id factum, vt in manu nostrâ non esset eligere, esse quod velle-  
mus.*

**I**N eandem, vti credo, sententiam mecum itis, illudque non agrè conceditis, quemque suò debere viuere contentum statu, quem Diuina Prouidentia omnibus rectè expensis sapientissimè determinauit: ac proinde par esse acquiescere euentis omnibus, per quæ, quasi per instrumenta, status is tibi est efformatus; denique non alias animi internas dotes præ ijs, quæ habentur, sollicitè esse quærendas; cum illæ statui tuo rectè debitèque exigendo penitus sufficiant.

*Licet nobis  
verum no-  
strâ da-  
retur opio;  
non sumus  
electionis  
bona capa-  
ces.*

Et verò, vt quod res est, loquamur candidè; ego sanè non video, quò pacto alium aut alium vitæ statum eligere potuissemus nos, nisi quasi tacitè à magno illo Numine res ita circa nos compositæ fuissent, vt non nisi paucarum admodum daretur electio; in cæteras verò quasi illaberemur inducti. Quâ enim ratione alterum præ altero eligere quis possit & præferre, nisi vtrumque nouerit? nemo autem noscere rem aliquam dicendus est, nisi eam penitus intimèque perspexerit: quis autem is est mortalis homo, qui circumstantias omnes & prostratas rerum omnium, quarum daretur electio, penitus habeat introspectas? Et rursus licet omnia nobis essent cognita & manifesta, quæ quouis in statu bona sunt aut mala; timendum adhuc foret ne affectionibus suis nimium dans natura, illis excæcata eligeret  
id



id quod pessimum: vnde tandem ingemisceremus electioni nostræ, illud tantum excusationi prætendentes. *Video meliora proboque, deteriora sequor.*

3. Id quidem video, è duabus, quæ proponuntur, conditionibus, eligere me posse eam, quæ melior commodiorque rebus meis videtur; verum eam præferre, re ipsâ melior & commodior futura quæ sit, non est in manu meâ. coniecturis agere possum; sed acu rem tangere, & quidem sine errandi periculo, solius Dei est. Qui enim id rectè possim discernere, nisi prius istud probè teneam, quid quouis in statu mihi vel bonæ vel malæ reobuenturum sit, vt eas inter se comparando, verum tandem iudicium feram? qui possim Italiam natiuitatis meæ loco præferre, vt isthic in lucem prodire rectè velim, nisi sciam isthic nasciturum, superuentura mihi dies allatura quid sit? id autem scire qui possim, qui ne quidem hîc vbi iam versor norim, crastinum quid secum ferat? Verum cum id non ignorem, omnia etiam minima rerum in quâcumque conditione positarum euenta, clarè & dilucidè cognouisse Deum: eumque nihilominus videam natalem, quæ mihi obtigit patriam, Italiæ prætulisse; fundamentum habeo indubitatum, cui innixus firmiter mihi persuadeam, hunc mihi nascituro locum præ alijs omnibus conduxisse. Eandem ratiocinationem omnibus, quæ mihi concessit Deus, applico sine vlllo discrimine. Ac sic constanter assero hos mihi parentes, hanc educationem, hanc corporis conformationem, constitutionem hanc animi, has dotes & non alias vllas; quin imo & has supernaturales gratias mihi præ ijs, quæ D. Antonio, aut Paulo Eremitæ concessæ sunt, conducibiliiores melioresque fuisse. Illud enim clarè cognoscebat perspicax Deus, eas gratias mentisque illustrationes ad Eremitæ statum pederentim fuisse deducturas me; quem tamen mihi statum præ meo iudicauerat non expedire. Omnes enim circumstantiæ simul concurrentes, proprium cuiusque statum faciunt, vt mox explicabo.
4. Itaque non acquiescas modò Deo; sed & illi gratias age, quàm potes maximas, de omnibus quæ circa te acta sunt; in eum enim statum, qui tibi optimus est, te deuexerunt. Optimus autem illè semper est, in quò es, dummodo sine scelere, si ager es corpore, si pecuniæ inops, si difficultatibus implexus modò; modò sanè non poteras

Probatur  
inductione.



poteras esse quidquam melius. Rursus si valetudine bonâ es, si opulentus, si in dignitate positus, si commodè viuis & opiparè; numquam meliùs quid excogitare poteris, quod iam & hoc temporis momentò sis, quàm quod reipsâ inpræsentiâ es. An autem, & quomodo varietatem aliquam statui inducere possimus, vt eum vel emendemus, vel etiam euehamus, dicemus porrò deinceps. Tract. 14.

*Neque his, qua elegissemus, daretur acquiescere.*

Illud iam dico, incertum esse quidquid de statu nostro præsumimus, dubium quidquid statuimus. Verissimumque est illud Sapiētis: *Cogitationes mortalium timide; & incerte omnes providentiæ nostræ.* Quin imò ideo semper timidæ, quia de euentu semper incertæ. Quidquid admodum designamus animò, ex aduersò aliter cadit, & menti nostræ ferè semper contrarium sortitur euentum. Et verò si quidquam ex voto ceciderit, ne hoc quidem voto faciet satis, nisi si hoc ipsum votum, ex Dei solo beneplacito tibi benè cedere, sincerò animò & non fictè desideraris. Aliter si vota desideriaque conceperis; etiam concessa & completa, breui futura sunt fastidio. Et sic sanè asseuerare audeo, quod si non vnicâ tantum vice, sed nullenis omnino, eligendi sortem tuam tibi daretur optio & facultas, millies condemnaturum te quod elegeris, nisi tecum, & per te eligentem sequaris Deum; nullus tibi aridebit status, nisi, quem Cælum dabit, placeat: & sic pigebit elegisse, quidquid demum elegeris. 5. Sap. 9.

*Probatur ratione.*

Ratio autem est manifesta. Cùm enim nullus in hoc orbe status sit, aut viuendi conditio, quæ non suis sit implexa molestiis & quidem etiam grauissimis; simul atque eas incipias perentificare, illico tædebit te electionis tuæ, per quam factum vides, vt in has misérias deuoluereris; aliudque optabis elegisse, ne in hæc mala incideres. Idcirco bono sanè consilio hæc electio nobis permissa non est, nimium enim multis modis irasceremur nobismetipsis, & verò etiam excerceremus odia. 6.

*Et inductione.*

Id certè nobis accidit quotidie in illis rebus, quas nostro Marte selegimus. Vxorem tibi deligis tu, tu maritum. quamdiu placida est vxor & coniux commodus, placet optio. at verò si alterutrius mutetur indoles, aut ingrauescant mores; insolescat vxor, aut genius exasperetur coniugis: tum verò primum quod occurrat, est, Ah! cur virum hunc elegi, cui tantâ procorum suppetebat 7.

CHRISTOPH.



bat turba! Verùm ne te condemnes de hâc electione, quisquis es, idem enim de quouis quem sic elegisses, dictitares. Munus aliquod officiumque, ad quod non à Deo quasi manu ductus sis, sed pro tuo arbitratu selige. quamdiu res ad nutum fluunt, fauet fortuna, opes augentur, rectissimè dices te id præ aliis seligisse; mutetur fors, detestaberis improvidam electionem. At, non id etiam meminisse oportebat te, nullam sine molestiâ in hoc misero orbe esse conditionem? Elige statum quantumvis sanctum & religiosum, sanè si tuo tantum seligis arbitratu, vix minima occurrerit carnis petulantia, castitatisque seruandæ molestia, despondebis animo confestim, & matrimonij tibi videberis eligere debuisse conditionem. Et hoc quidem in omni rerum electione contingit; numquam ita seliges, vt numquam te electionis tuæ pœnitere possit, & verò etiam reipsâ aliquando non pœniteat, imo & sapissimè. nam res ipse, quas seligimus, mutationi & vicissitudini sunt obnoxia: mutantur illæ, peritque id quod eligenti placebat maximè. displicet igitur electa res; & tunc displicet elegisse nos, quod tam facile poterat displicere.

8. Neque id mihi iam dicas magnam te adhibiturum industriam, si eligendi detur optio, ne id eligas cuius te postliminò pœnitere possit. Friuola hæc dicta sunt. Quâ enim in re magis animi ingeniique neruos intendunt homines, quàm vt pecuniam lucro exponant, eligantque hypothecam, censumque longè securissimum? Itaque iam tibi sex mille aureos in manus do, tu sic eos eroga si potes, vt exposuisse non pœniteat, imo pœnitere vt non possit. Certè inquires, fundo nihil stabilius; itaque agros coëmam. Coëmisti; interim cras bellum ingruet, indolebifque millies, ædes intra muros vrbium non comparasse te. His autem si emendis peculium exhauseris, ecce aut flammis absumuntur inopinis, aut casu concident, & cum illis tua spes. Quid ergo rem tam instabilem supposuisti auro tam certo? Casus, inquis, incidit, cui præcauere non fuit in manu meâ. Hoc est, quod volebam, semperque inculcatum volo. Infinita sunt eiusmodi euenta, casus infiniti; quos cum ignoremus, fieri nullo modo potest, vt id eligamus cuius pœnitere nos non poterit. atque ideo nostra nobis electio necesse est vt semper sit suspecta, eaque cui numquam detur acquiescere. Incertæ, vt inquit Sapiens; & quia incertæ, *timide sunt omnes prouidentie nostræ.*

P p

At



*Acquiesce, si Deum tibi res tuas selegisse, certo credas.*

At verò cum illud mihi penitus persuasum habeo, Deum esse, hunc mihi statum qui designarit, & præ cæteris omnibus tanquam optimum selegerit, eumque libero meo arbitrio & electione usum fuisse ut præscriptum sibi finem assequeretur: tum verò penitus conditioni meæ acquiesco, nec quidquam est quod unquam pœniteat. Nam si omnia ad nutum fluunt, habeo omnino quod volo; sin autem in transuersum aguntur res, difficultatesque occurrunt statûs, habeo certe habere velle quod debeo; iudico enim ex Dei eligentis Providentiâ in eo me statu hodie esse debuisse, in quo hodie mihi esset malè. sic si prosperè in matrimonio agantur omnia, vxor bene se habeat, valeant filij, familiaris splendor augeatur, facilè tunc certè placebit tam commoda conditio: sin verò suboriantur tædia, mores vxoris antea placidæ, intolerabiles nunc sint, fortuna domum deserat; tum quia eligentem hæc mihi Deum conspicio, illud mecum statuam, hoc mihi tædium conduxisse hodie, ideoque hoc in statu collocatum, tædio ut sic afficerer. Sic in hyeme iudico gelu constringendam terram, & facilè frigus fero: in æstate censeo caloribus aperiendam humum, & sic Soli non obmurmuro. Verùm id sequenti tractatu dicendum est explicatiùs.

§. II.

*Nihil itaque statui tuo demptum aut adiectum cupias si tuo contentus sis, nec alieno adiectum dolo quod deest tuo.*

*Parum aliquid sibi deesse semper dicunt homines.*

Admodum plana mihi inquires videntur hæc omnia, rationique consona. Acquiesco sanè & dictis & statui meo; nec aliud esse volo, quàm quod sum. Verùm enimverò, an non optabile id foret, aliquantulum maioribus diuitiis ut affluerem, commodiùs tantùm ut conditionem meam possim exequi? Certè Deo obmurmurare iam nolo: tamen an id mihi tantò opere noceat, census si mihi paulò sit copiosior, abundantiorque sed paululùm tantummodò domi res: Quid si corporis forma paulò venustior foret, si valetudo parùm firmior, munusque quod gero paululùm splendidius?

*Sed si parùm est quod*

Itane vero vir bone? Paululùm tantùm est quod expetis, & idcirco



idcirco existimas murmurationis reum non esse te. Egregium enimvero iniuriæ Deo irrogatæ prætextum! quam antequam tibi aperio, illud iam te interrogo; si parum tantum sit formæ, parum valerudinis, parum dignitatis, parum diuitiarum quod desideras: quæ tandem illa est dementia, vt res tam exigua tanto opere te conturbet, & tam parum spei totam tibi mentis tranquillitatem auferat? si parum est quod expetis, parum est quod denegatur: & idcirco tamen, non parum, sed vehementer etiam affligeris, hocine est sanæ mentis esse? Verum edic porro, quanti tu parum illud esse censes? quantum pecuniæ tibi cupis adiaci, vt paululum dicaris ditior? Nummorum millia sexcenta? Minimè inquires, non mehercle, nolo tantas opes: paruo contentus sum, modò plus sit, quam modò est in loculis. O cæcum & improuidum caput! An non id vides nihil admodum referre, an sexcentorum te millium, an exigui æris cupido turbet, modò turberis? Certè tibi auctor fuero, vt non sexcenta tantum millia, sed & ipsas Indiarum opes expetas, Peruiiæque totius inhies thesauris. Insanus, inquis, fuero id si vel in mentem veniat. Fateor, sed neque iam admodum sapias, quin imò si rectè rationes teneo, insaniora modò sunt vota tua, quàm si ea per integra regna extenderis. cum enim & hoc & illud votum, mentis officiat tranquillitati: certè minus absurdum videtur, turbari hominem ob magnam sibi denegatam spem; vbi exiguum quid expetere, non magnum habet operæ pretium, & tamen non minorem, si non concedatur, adfert animo perturbationem.

*dec. 7. cur  
multū con-  
queritur.*

82. Vt verò ad iniuriam, quæ Deo eiusmodi querelis infertur, demonstrandam accedamus; an non id ridiculum est, quod obmurmurator hic Dei ordinationibus planè acquieturum se dicat, modò paululum plus valerudinis, parum plus dignitatis, exiguum quid diuitiarum ampliùs fuisset attributum? Dolenda sanè res est, eum qui omnia tam iustâ trutinâ distribuit bona; distribuit enim *in pondere & mensurâ*, huic homini sic admetiri non potuisse, vt planè faceret satis. Quid tanto quæso Numini in mentem veniit, vt exiguum illud massæ detraheret, hominibusque ob tantillam rem, non paruam tamen daret materiam conquerendi? Ita tu me de Deo loqui doces, murmurator in paucis egregie. Verum ne quæso iniuriam hanc Benefactori tuo impingito, insigniter ingratus nesis. Neque si centum omnino

*iniuria est  
Deo ista  
querimo-  
nia.*



libras pro suâ liberalitate appendit, tu ei vitium facias, quod non vnciam drachmamque adiecerit. Turpe id nimium est milenos danti aureos, ob quadrantem vnum negotium faceffere: turpissimum, id sibi denegatum esse passim conqueri; intolerabile verò, id etiam munifico donatori exprobrare. Tuo contentus sis; tuæ id conditioni, quod habes, prorsus congruit, & prorsus sufficit: neque forti tuæ adijciendus est aut as, aut obolus; nisi fortè tuâ forte contentus non vis esse.

*Idco parū  
videmur  
accepisse,  
quia plus  
datum est  
alteri.*

At inquires, nolo sanè commutare statum; volo id esse quod sum. Mercator sum, propola sum, & id volo esse quod iam sum. Verùm vt dicam candidè quod res est, mihi profectò non omni ex parte prospectum est vt meæ conditioni benè sit. Pauci sunt qui merces meas coëmant, pauci qui ædes accedant, lucris spes domi exigua, cum aliorum tabernas qui eiusdem mecum conditionis sunt, videam accurrentium affluxu pragruari. Deinde, mihi tantopere non laboro, sufficit sanè mihi etiam angusta res. Verùm filij multiplicantur, illis prospiciendi vrget cura; si res modò parua est, quò demum euadet in plures diuidenda; cum alijs certè melius agitur, quibus si accrescat familia, accrescunt opes. Tertio denique si plusculum esset rei, sanè elemosynæ Religionisque operibus daretur insistere, multaue magnificus in pauperes templaue erogarem, prout alios facientes video, quæ iam domesticis, quibus vix sufficiunt, sumptibus cogor impendere vel inuitus.

13.

*Inuidia  
istud vitium  
est.*

Ita tu quidem. Verùm quid mihi semper alienam sortem importunus oggeris? quid querelis tuis, alius quid habeat, aut quid agat, inuidus incertexis. Hinc enim video ad plura semper expetenda, ingratos homines sumere animos etiam impudentes. At verò quid tua id interest, quid à Deo agatur in alienâ domo? an tibi quidquam deest, quia vicino tuo quidquam adiectum est? an quia pallio alter teclus est holoserico, idcirco nudus es tu? an quia vescitur opiparè, tu fame peris? an quia ædes habet magnificas, tu sub dio habitas, aut degis in impluuiò?

14.

*Ostenditur  
absurditas  
hæc usque  
inmonia in  
ipso coque-  
rente.*

Videte obsecro, quam absurde agant homines, quos aliena felicitas angit, nec suâ sorte contentos finit viuere, etiam si eam tenuis esset, vt sicco etiam pane, eoque per magnum laborem extorto, cogentur viuere. Age; quod si omnes quotquot sunt

15.



sunt in orbe homines, non alia haberent vitæ comoda, non aliâ fruenter quàm tu valetudine, non alias habitarent ædes, non aliis vescerentur cibis, quàm quibus vesceris, an vniquam tua tibi displiceret quantumuis incommoda casa, aut etiam sic cum quo nunc viuis fastidires panem? Certè non arbitror. Quòd si verò omnes reliqui non nisi extimum panis haberent frustulum, idque siccum admodum quod famelici arroderent; vbi interim panis integer suppeteret, malam quo posses lepidè exsaturare famem; nonne tuo pane non contentus modò, sed & lætus & alacer & Deo præ aliis gratus viueres, aliis qui te videas esse prælatum? quis dubitat inquires, Et tamen non nisi panem haberes tunc quem habes modò, neque minore quàm nunc labore comparatum. Hoc iam exigo; an idcirco panis tui natura immutata iam sit, eo quòd alienas mensas carnes tegant? An aliquid domi tuæ turbatum est, quod in vicinâ tapetes & perisometa muros ambiant? Si nihil immutatum est domi, vnde tibi immutatus est animus? vnde intransuersum acta, quâ cum omnes pares essetis, gestiebas lætitia? Deceuit nempe ingrato beneficium, simul ac inuidus sensit alienum. Verùm si nihil mihi detrahitur; si hoc quod habeo, à munifico largitore Deo sit; si sine vllis meritis meis id acceperim; si quod conditioni meæ sufficit; quid habeo rantopere quod querar? an quod parum suppetat? numquam sanè parum est, quod sufficit. Imo quod sufficit, multum est. Quin igitur Deo meo, benefactori meo gratias ago quantum queo maximas? quin pane meo vescor hilare? Siccum dicis. At numquam is siccus est panis quem lætus condit animus. Quid mihi cum alienâ felicitate est negotij, si me solum solumque Conditorem meum aspicio, nec in alios mentem oculosque reflecto?

16. Verùm puerorum instar hâc in parte sumus, & nescio an non pueris infaniores haud paulò. Quod si pueris sex septemue, ientaculum exhibes, atrumque panem butyro auarè satis illitum cuique in manus des, omnes gaudere videas; ora infigunt avidissime, sapit panis, dentes gestiunt, turgescit stomachus, quæta sunt omnia. At si vel vni quantumcumque fratri, quantumcumque ægri & debilis stomachi, album panem viderint porrigi, illico totâ turbatum est domo: panem sibi dari expetunt, conqueruntur denegari, assiliunt, ancillâ manibus vt eripiant,

*Item in pueris.*



lachrymantur, eiulant, exclamant; & quod peius est rursus esuriunt, nec ater panis fami exsaturandæ confert quidquam, imò nescit quidem, qui tamen modò erat in deliciis. Quid hoc demum rei est? an ergo deterior factus est panis, atriorue? Neutiquam. verùm deteriores fecit animos felicitati, si sic loqui lubeat, fraternæ immixtus lior: panis in manibus alienis candidus, atros fecit infecitque intuentium obtutus. At vero quia stomacho laborat frater, albus ei porrectus est panis; vos robusti estis & validi. Frustra loquimur. & quæso ne fratris morbum albo pani prætendite, nisi velitis omnes illico laborare stomacho, & licet non laborent, morbum fingere.

Puerorum sunt hæc artificia fateor; sed & nostra sunt passim vitia. nam vt eleganter Seneca, *Adhuc enim non pueritia in nobis, sed quod grauius puerilitas remanet. Et hoc quidem peius est, auctoritatem habemus senum, vitia puerorum: nec puerorum tantum, sed infantium.* Hòc tantum differimus, quòd in maioribus infanimus. Numquam nobis satis est, quia nostra comparamus. neque noceret comparatio, nisi per eam excitaretur continuo, nimium heu nobis ingenitus habendi amor; perimus vt habeamus, nosque perdimus. vt commoda augeamus, promoueamus opes, nullique vt cedamus, mouemus omnia. Huc omnes referuntur cogitationes & curæ; ideo sudatur, ideo transcurritur, ideo litigatur, ideo rixæ exurgunt, ideo suscitantur odia, ideo amicitia dissoluuntur, ideo denique turbatur humana mens, mœrore consumitur, nec quidquam bonæ vitæ sibi residuum facit.

Satis cuique datum est, modo datus quisque satis acquirat.

Istud tamen amicè interroganti amicè responde. an non quietam vteumque vitam transigere posses, iis quæ tibi ad manum sunt, bonis vti modeste & cum gratiarum actione si percuperes? Quòd si negas ea statui tuo sufficere, videsis an non sumptus eos facias, quos status tui conditio minimè requirit. si enim plebeius cum sis, tenuisque fortunæ, nobilem vis agere, ne certè conquerare bona non sufficere; neque id Deo imputa, sed immodicæ cupiditati tuæ. Sufficerent sanè bona statui tuo, si tuus ipse tibi sufficeret status. Hoc tamen non ago modo: illud vrgeo, quâ fronte asserere id possis, non satis tibi pro conditione tuâ esse prospectum, qui iam candidè confessus es, contentum imo & lætum sorte tuâ futurum te, nisi aliis liberalius prospectum foret? An non id te pudet aliis candidiorem seu panem (puerorum



(puerorum instar) seu fortunam (quæ virorum est infantia) invidere, & impalescere alienis bonis? Tibi sanè malè facis, alteri quod sit meliusculè. an non id est puerum agere in virili ætate, & in senectute maturâ infantia vitii implicari? O si ditior essem inquis, si locupletior, si opulentior, quid non agerem? Acturus quid esses, videbimus id porro deinde. Quid verò iam agis per tot vota, inaniaque desideria? nihil sanè nisi tuam quietem inturbare, eosque in animo tuo excitare tumultus, quibus tandem immarcescis. Comede si sapis quem tibi porrigit panem Deus, gratiasque age pro viribus maximas: candidum si dederit, bene tibi erit; attriorem si obtulerit, non erit vt reris malè. *Da quod vis dicebat piissimus Deoque totus deuotus Thomas à Kempis & quantum vis, & quando vis. Domine tu scis qualiter melius est, fiat hoc vel illud sicut volueris.*

## §: III.

*Ideo autem nihil tibi aduici vult Deus, ne statim te tui status fastidium subeat, illumque in eum qui tibi non conuenit commutare velis.*

19. **A** Nimaduerte iam si placet; plura tibi cum negantur bona Dei miserantis industriam, & sagacitatem. An non id li-  
 quido ostendimus, & post multa tandem confessus es tu ipse, tuum tibi statum præ omnibus maximè conuenire, neque meliorem tibi eligere aut conficere potuisse te? Quid ergo iam plusculum commodi exoptas, minus vero aliquantulum laboris; plusculum diuitiarum, egestatis verò paulò minus. Certè hæc omnia tuum statum conficiunt, imo status tuus sunt vt mox explicabo. Hoc sanè nemo mihi iam negauerit, paupertatem administriculum esse & instrumentum quo Deus in eo te statu continet, quamdiu illum tibi censuerit conuenire. Statuamus igitur opificem esse te, ferroque subigendo operam impendere. Status is tibi conuenit Deo iudice. Tu interim opes expetis. Dentur sanè sed non à Deo, & rationibus tuis accedant aureorum decem millia. Quæro ego iam an tu tanto ditatus auro, fabrum posthac ferrarium acturus sis? Egone, inquis, ferro admouero manus iam auro

*Homines passim cū parum rei ipsi adiciunt, de statu mutatio cogitant.*



auro grates? minime verò. Quid ergo acturus posthac? omnia inquires cum venum prostant, munus mihi dignitatemque in Republicâ comparauero; sic viam commodè. Enim verò id mihi iam libeat carbonibus astare totos dies, & penes fornacem calidum frigidâ vesci carne & misero pane. An has miserias feram? ego tantâ cum pecuniâ, quæ miseriarum omnium vnicum est solatium? Non faxo ædopol, herele tantam insaniam.

*Sed male.*

En vt non possessa tantum, sed & præconcepta tantummodò felicitas, tibi omnem attentionem memoriamque eripiat. An non illico factus es tuum tibi statum esse optimum? cur igitur in alium mutare vis, nisi quia pecuniâ tibi dementant caput? Huic incommodo præcauit Deus, nihil fortunæ tuæ cum adijcit, ne parum quidem; incredibile est quam paucis pennis opus sit, vt volare se posse, putet Icarus. Longè itaque melius est vt nullas habeat, ne appetat nocituras. Ah miser! quantò satius tibi est malleum gestare manu, quam sceptrum! fuligine carbonum quàm adulantium fumis afflari! quantò melius in incude tuâ fortunam, tibi cælestem fabricare! Hoc tute scis, tute fateris ipse; quid ergo ad minus profutura, imo ad nocitura tantopere anhelas? Hæc fanè duo combinare non possum: iudicas tuum tibi statum magis competere, & tamen reijcis. Aut igitur alterum nega, aut certè te intra limites tuo statui præfixos contine; eaque lubens suscipe & bona & verò etiam mala, quæ statum tuum constituunt aut illum necessariò comitantur.

*Eligunt enim onera quibus ferendo non sunt.*

Iam verò cum per diuitias huius vitæ difficultates miseriaque euasurum te existimas, erras planè. Illud occino: ô quantâ laboras in Charybde, Syrtem euadere cum conaris! Hoc certè ex Epicuro Seneca opportunè suggerit; *Multis parasse diuitias, non finis miseriarum fuit, sed mutatio.* Nihil veriùs, verùm ita præsentia abhorremus mala, vt futura nihili faciamus, dummodò euadamus illa. Nec etiam si in maiora incidimus incommoda, pensi habemus quidquam, modo præsentibus non vrgeamur, tanta est & tam temeraria mutandi libido. Faber ille ferrarius, qui fortunam sibi magnam pecuniâ coemere statuerat, eam inquam quam sibi malleo non poterat effingere, nec in incude fabricare; tum cum miserias sui status euadere conatur, in alias longè grauissimas quas secum fortuna trahit incidisset infelix; & quidem minime miserandus, vt qui eas ita adamauerit.



Vt etiam auro coëmerit. Verum id quidem est quod fuliginem opificinæ, malleorum ictus, incudis fragorem, miseriaque frugalis mensæ datum fuisset euenire, felici, quia alias miseria in-experto: at verò cum ipsi iam locupleti & opulento, caput litibus cœpisset obtundi, vidissetque euocationibus contestatione-que facta sese in ius abripi, rationes exigi, census denegari, nec nisi per multas altercationes exhiberi; rursus mendacijs, periurijs, adulationibus, commendationibus importunissimè implicari se: tum certè credo complicatis manibus, erectoque in cælum vultu millies exclamaturum, Ah miserum me! quanto facilius mihi fuit ventum follibus camino facere, quam Fortunæ ventis imperare! quanto commodius fuit malleorum ictus perpeti, quam quibus nunc contundor miser! ad mensuram cadebant illi, eosque excipiebat incus; vndique me impetunt hi, sine mensurâ quidem sed non sine pondere. O quanto nunc meliùs mihi foret incudi meæ malleis incumbere, quam esse Fortunæ incudem! quàm curis expers lætusque forcipe versarem ferrum, qui ab auro ipsemet meo tam crudeliter exagitor! nimium hæc grauis fors est, humeri impares, oneri ferendo non sum.

32. Sapis profectò cum sic loqueris, quod verò tibi nisi experto videre non licet, nec fortè cupidine nimiâ excæcatus videre non vis, id quidem Deo antequam eueniat, est longè perspectissimum; & ne eueniat, magna ipsi est cautio. Nouit ipse quæ cuique statui immixta sunt onera, nouit quid tuæ ferant vires; omnibusque rite expensis, illi te applicat conditioni cui ferendo sis par. Paupertatis si te incommoda nimium grauant, certum id tibi sit diuitiarum te incommodis opprimendum; quin imo ne commodis quidem bene ferendis parem fore. Neque si diues es, & in dignitate positus, de tuis etiam incommodis conquerere, nec plebeix conditionis tranquillitatem tuæ indignabundus præfer; nam tua qui tam molestè persers mala tot vndiq; commodis circumseptus, certè molles nimium tenerosque humeros paupertati sustinendæ supponeres. Nouit ista qui vires oneri, oneraque viribus summâ accuratione & industriâ attempauit, alijs vt idem verbis dicam, statum ita composuit, vt stare in eo possis & persistere. tu statum tibi cum præstruis, casum tibi machinaris imo & occasum.

*Optimè nouit Deus quid quisque ferre possit.*



## §. IV.

*Occurritur obiectioni de filiorum curâ habendâ. item ostenditur quod modicum quid additum statui, statum mutet tibi peculiarem & proprium. exponitur duplex status, genericus alter aut specificus, alter peculiaris & indiuiduus.*

Oppones illud fat scio, hæc quidem omnia eos concernere, 23.  
ingentes qui diuitias animo voluunt & solliciti ambiunt: quorum quidem studia in hoc collimare vt statum suum penitus excuriant, nimis sanè est manifestum: te verò non id agere, modicas tantum opes expetere, vt conditionis tuæ incommoda minùs molestè feras: neque adeò tibi ipsi laborare te, vt qui tuâ sorte contentus sis, quàm filiorum commodis insudare; quorum vt tibi commissa est sustentatio, ita dubio procul imposita est & cura. duobus autem cui curandum est, quid mirum quòd sua sibi sola fors non sufficiat?

*Filiorum  
ne sis solli-  
citus, ma-  
gis illi ad  
Deum quàm  
ad te perti-  
nent.*

Uterius quæso ne progredere, de filiorum curâ quam cupiditati tuæ dissimulandæ, cautus prætexis, respondendum est prius antequam ad alia dilabamur. Curam tibi filiorum demandatam esse quòd fatearis, libens accipio. At à quo? à naturâ inquis, & naturæ auctore Deo. Nihil rectius, Deus itaque filiorum curam tibi demandare legitimè qui potuit, plus iuris quàm tu ipse in filios tuos habere dicendus est. Hoc certè in confesso est. Iphis itaque si prospiciendum est, istud sanè Deo præ te longè magis incumbit onus. Et verò neque hoc mihi negaueris, Deo longè exactiùs quàm tibi perspectum esse, quis demum status tuæ proli conducebilibior sit. Quid ergo exclamas paulò maiores opes expetere te, eorum rebus commodisque rectè vt consulas? Commodiùs ipsis esse si voluisset Deus, non te parentem elegisset, is in cuius manu erat nobiliores illis natales dare. Tu quod tuum est age; de tuo quod habes prospice, ea tibi incumbit curatio. parergon est & abs re plura exoptare, vbi plura filiis suis impendi non vult, is qui æquum in pupillum curatoremque ius habet & imperium.

*De paupere  
datis*

Itaque sic statue; ea quæ ad manum sunt, & tibi & illis impende 25.



pende pro facultate quam obtines, non quam optas. Quod si <sup>prospicit,</sup> exiguam tantum hereditatem proli potes transcribere, illud ti- <sup>quia pau-</sup> <sup>peres esse</sup> <sup>voluit.</sup> bi sit persuasissimum, tenues eos & pauperes esse voluisse Deum, tuâque egestate velut instrumento usum, ut eos in tenui colloca- ret statu. quod si proles nascatur copiosior, hoc quoque ita Deum ordinasse, ut longè quàm tu modò sis, pauperiores essent singuli; nimia adhuc erat fortuna tua, quàm ut tota in prolem v- nicam cum ipsius euidente ruinâ transfiret. Quid igitur prolis tuæ conditio futura te torquet, cum id certum sit, quamcumque Deus assignarit, longè meliorem ipsi futuram, quàm tu possis mente designare & votis expetere? Nescis tu quid proli expe- diat, nouit id præclare Deus: quid ergo te & temerè & verò et- iam incassum exedis?

26. Persistis nihilominus in proposito; illudque vrges paruum <sup>Parui ad-</sup> <sup>iiectione</sup> <sup>multum</sup> <sup>accrefcit</sup> <sup>cupiuitas.</sup> adiectionem conditioni factam, eam feliciorem quidem redde- re, non verò etiam illico mutare; non enim plebeius homo aut propola, plebeius esse desinet si tenues illi adiciantur opes. Iam vero inquires, propola cum sim officinam meam exercere volo, porò statum non desero, neque adeo libeat deserere, licet ali- quantulum accrescant res. Deus immortalis quid audio? An tu id mihi persuaseris in tuo statu perstiturum te, si fortuna paulò tibi blandior illucescat? Audi. Nolo iam tibi innatam homini cupiditatem obiicere, quæ numquam possessis extinguitur, nec habitis exsaturatur sed exacuitur magis & accenditur; utpote cuius natura sit semper habendis inhiare. Parum tantummodo dicis te expetere; & *parum* illud si concedatur, accrescet non pa- rum fames, & *adhuc aliquid* desiderabis. *Aliquid adhuc* si conse- queris, mox *paulo plus* erit in deliciis, vix *paulo plus* domi com- paruerit, cum subito *multo plus* futurum sit in votis. *Multo au- tem plus* votis si accesserit, dices denique *numquam satis*. No- ui ego mortalium ingenium; noui cupiditatum genealogiam, & generationem, noui inquam quas proles gignat fecundum illud *Parum* coniunctum copulatumque, ut ita dicam, cupientis voto & desiderio. Prima huius infelicis matrimoniij soboles est opta- re *Adhuc plus*: secunda cum hæc successerit, est appetere longe plura, recteque proles hæc vocabitur *multum plus*: tertia deni- que eaque miserrima, soboles est quæ dicitur, & dicit *numquam satis*. Verum non hoc tibi nunc obiicio, neque communem mor- talium



talium ægritudinem obiectando, tibi os occludere modo est animus.

Hoc nunc ago. Parùm inquis si commodior aut opulentior fuerit fortuna mea, illi totus acq̄ueuero. Verùm quâ tu ratione ductus id demum ages? an quia tibi satis factum iri autumas? hoc sanè iam negauimus. Hydrops est omnis cupiditas habendi; fitim dum ingestione putas extinguere, magis irritas, vt iam diximus. Quod si diuinam attendis bonitatem, eiusque beneficio te gauisurum dicas: benè id quidem. Sed cur non eò quod tibi iam concessit, gaudes bono, eoque lætus frueris? Quo inquis? Statu inquam tuo, quem tibi tanquam optimam tibi rem est elargitus? Beneficium tu credes esse maiores opes si concesserit? erras, negantur illæ tibi à Deo, malè ne faciat tibi. Beneficium non est magna dare, sed profutura. Magnum verò censendum est beneficium, negare nocitura. Nocebit verò proculdubio, si tuus alteretur status. Alter quidem eris, sed deterior. hoc verò neutiquam est è re tuâ. Id si tu non curas, curæ est Deo; qui magis tibi attendit, quàm tmet tibi.

27.

*Duplex genus status exponitur, aliter communis cū alijs, aliter indiuiduus.*

Et ne illud rursus oggeras modicum rerum tuarum incrementum, nullam statui mutationem afferre; neque mercatorem mercatoris statum excedere si euadat opulentior, cum plurimam varietatem diuitiarum, excessum & defectum, status huius & cuiuscumque alterius limites complectantur, intra quos tamen positi, omnes eidem statui annumerantur. Hoc inquam vt complanem, mentemque meam dilucidè vt exponam, fateor verum id esse quod opponitur. Verùm istud accuratè expendendum est duos esse omnino status: genericum vnum vt cum scholis loquar, quemque cum alijs habeas communem; alterum qui proprius planè sit, hominique peculiaris & indiuiduus. Aliud igitur est Mercatorem agere, aliud verò hunc Mercatorem esse. Sic & in pictura, licet varij depingantur milites, omnesque militiæ statum, armis cæteroque vestium apparatu expriment, & in hoc conueniant; singuli tamen suam sibi propriam positionem habent, incessum, vultum, brachiorum crurumque protensionem, compositionem denique & statum nulli alteri communem; & tamen omnes sunt milites. Ita profus de statu philosophandum est, aliquid quod commune sit multis habent singuli, aliud verò cuique quod sit proprium. Homo quòd sis, cum pluribus

28.



pluribus tibi commune est; cum paucioribus vir quod sis; minus adhuc commune mercatorem quod agas, militem, caussidicum aut propolam: commune tamen est aliquibus, adeoque communem faciunt statum. Hic verò quod sis miles, hic mercator, hic caussidicus; siue vt clarius loquar, in militis mercatorisue statu, talis quod sis, hoc est tam depressus, tam euectus, tam humilis, tam conspicuus, tam diues, tam egenus, hic tuus est in mercatura militiãue status seu positura tibi prorsus indiuidua. Sic in humano statu licet omnes simus & non Angelico, tamen tali te conformatum esse corpore, tam tenero, aut masculo, tam formoso vultu aut inuenusto, tam ægris membris aut validis, tam præclaro ingenio aut hebeti; hæc inquam omnia, tua sunt positio & vt sic dicam tuus in mundo status.

29. Quemadmodum autem humanum statum omnibus communem, proprium mihi per hæc circumstantias fecit Deus, neque hominem solum esse voluit, sed hunc hominem quem varia illæ circumstantiæ constituunt: ita prorsus scias non militem, mercatorem aut caussidicum esse te quasi generatim voluisse Deum, sed hunc qui es: atque adeo omnes quotquot te circumstant conditiones, res, euentus, prospera & aduersa, abundantia rerum & defectus, ea inquam omnia sunt status non communis, sed vt dixi tuus. Id quidem clarissimè indicasse mihi videtur Apostolus. *Vnusquisque*, inquit, *donum proprium habet ex Deo: vnus quidem sic, alter verò sic.* Quid autem id est vnumquemque proprium habere donum seu statum à Deo, nisi eum qui singulorum ita sit, vt nulli omnino sit communis? Mercator quod sis, multis commune est: at tam tenuis fortunæ quod sis, tam exhaustus, tot fortis aduersæ & prosperæ vicibus agitatus, tantum auri cui sit domi & nec teruncio plus aut minus, id verò est status tuus, tibi que proprius. Proprium autem vnicuique statum cum à Deo esse asserat Paulus, numquam certe statu quem tibi dederit Deus contentus dici poteris, nisi tibi proprio acquiescas: acquiesces autem, si nec adijci ei quidquam velis, nec etiam demi quidquam exhorrescas. An igitur opes augere non licet inquires? an dignitatem maiorem vitium est ambire? an fundos coëmere non est consultum, reique domesticæ amplificandæ inuigilare? quis sanè id non agat nisi iners & focors? Non dubitabam sanè difficultatem hanc illico obuckendam. Verum

Vide in-  
fra Tract.  
14 n. 2.

1 ad Cor.  
7.

Tract. 14  
35.



date si placet tempus, alia dum euoluerio, ostendam statu sub contentus quo pacto esse quis possit, & tamen maiores diuitias dignitatesue expetere placide, sic vt de tranquillitate animi discedat nihil. Sinite id modo me nunc agere, vt planè vobis persuadeam, nihil admodum vt tibi benè sit referre, per diuitiarum, honorumue incrementa, proprium tibi mutari statum; imò verò bono tuo ea etiam officere.

S. V.

*Ostenditur nociturum id tibi, si per diuitias incrementum statui tuo fiat: neque eâ te facturum bona opera diuitem, que facturum te credis; imo ne ea quidem que pauperior modo facis.*

*Parit amplius diuitiarum opesant quidam, vt possint opera misericordie exercere.*

**A**liquis adhuc animo tuo inhæret scrupulus, necdum penitus acquiescis. Sic est inquis. Nam vt vera sint hæc omnia, ea que quæ negare non possim; tamen id mihi nemo non concesserit, valetudinem rectam, bona corporis & commoda, opes dignitatesque multum virtutibus exercendis conducere, instrumentaque esse vt rectè fatetur Augustinus *quibus facias benè*; & multis benè dum facis, facis tibi quàm optimè. Iam verò opulentus si forem homo, crumenaque mihi turgeret auro plurimo, Deus bone, quàm alius à meipso forem! quid operæ non præstarem miseris! pauperum necessitatibus sanè prospicerem; esset enim ad manum facultas, esset quo templa exornarem Diuinumque procurarem cultum; neque carceribus paterer deesse benignitatem meam. Id quidem mihi certum esset facere; sentio enim ad misericordie opera propensum animum, facilem flecti, cuique innatum sit alienis miseris indolere. Et verò intolerabile prorsus est, opulentissimum quemque seruare sibi res suas, neque Deo à quo tamen omnia acceperit, gratitudinis vices rependere; ornatissimæ sunt illorum ædes, squallent templa sine ornatu. Ornare qui possunt, nolunt; non possunt si qui volunt.

*Verum ad hoc nō parum plus, sed ingentes*

Bone Deus! quid obmurmurator hic non congerit! quibusque integumentis humana sese cupiditas non inuoluit, vt lateat & ne videatur! mox filiorum curam necessitatemque querelis suis

30.

31.



suis prætenderat; iam verò cum id ex voto non successit, misericordiam erga pauperes prætexit, & si placet, cultum Dei. Verùm age cupiditatis tuæ qui patronum agis non illepide: quod si rectè ratiocinâris tu, eodem sanè argumento conficiam ego, non exigua tantum opum incrementa expetere debuisse te, sed vel ad ipsas Salomonis gazas, adeoque etiam maiores aspirare. Liquidò id quidem patet: iis enim circumfusis, quæ Deus immortalis, charitatis opera præstare non posses: vt sese per omnes mundi angulos beneuolentiæ tuæ indicia, velut à sole emicantes radij, diffunderent! Et tamen nonne ridicula ea esset infania, si quis suas spectans opes, altum ingemisceret Salomonis thesauros quòd non possideat, Peruiiæque torius defossa adhuc metalla rationibus suis necdum quòd accesserint? stultum est inquis eiusmodi dicta dicere, insana sunt hæc vota. At quò pacto insanum tu dicis id appetere, quò facere posses benè? certè ingentia præstare tunc valeres, qui iam admodum nihil potes. Vides igitur tuâ conuictus sententiâ, non te pauperum premi beneuolentiâ, sed tuâ cupiditate; & non Dei agere causam te, sed tuam, licet pessimam.

*opes deberent appetere.*

32. Deinde quam id est perridiculum dicitare, plurimam tibi si ditior esses, aliis benefaciendi futuram facultatem? fateor posses quidem multis facere benè; verum id mihi imponere vis tu, facturum te illico, facere quod posses opulentus, valens corpore, & in dignitatibus constitutus? Planè inquis id mihi acturus videor; sentio enim eâ me esse indole, vt in beneuolentiæ opera non ferar modo, sed & abripiar. Ego verò tibi non credo, ne iurato quidem: non enim is esses qui modo es, neque tam pia tibi tunc foret animi affectio. Nihil montibus illis sterilius asperiusque, quam qui aurum argentumque in visceribus ferunt; nec verò auro licet turgeant aurum dant; eruendum est vi, & ferro. Misericordem te facit paupertas tua: egestatis tuæ incommoda quòd pateris, facile compateris aliënæ; nosti expertus quid sit pati; idcirco patientem cum vides pauperem, mouentur tibi viscera quasi si rursus tuum tibi instâret malum. Sic nempe recens memoria infelicitatis tuæ recrudescit ad conspectum aliënæ. Hinc facile compateris, quia compertum tibi est quid sit pati. At verò fortuna si blandior afflet, nihil citius secum auferunt molles Zephyri, suauesque auræ, quam præteritorum, quos susti-

*Ne plura bona expectas vt plus boni possis facere: nã reuera ditior non faceres quæ facis pauperior.*



sustinuimus malorum miseriarumque memoriam. sua verò mala qui non curat, quomodo eum tangent aliena? Opulentus sanè fias, exarescere tibi citò senties pietatis viscera nec tam facile commoueri; & nisi magnà virtute exsuperes, breui fies immisericors, bonorumque operum sterilior ipso auro, quod sui cupiditate totum in se trahit animæ succum, sterilemque afflatu facit. An non id fateris ipse, eos qui possunt omnia, nihil velle; qui nihil possunt, velle omnia? Omnia iam vis, quia parùm potes; sed si multa posses, crede mihi nihil admodùm aut parùm velles benefacere. In auaritiam deflecteres vt plerique opulenti; in vitia delabereris & scelera, quæ quia diuites facile & sæpè impunè possunt exequi, facile volunt; periret diuitiarum nidore suffusa animi deuotio, omnisque pietatis sensus; subtraxisset denique fauores suos gratiasque tuis criminibus irritatus Deus, & sic tandem qui nunc in mediocri fortunâ aut etiam in tenui admodum, egregius es Dei pietatisque eultor, impius fuisses medias inter opes, & ex eorum numero quorum Deus venter est, quorum Deus aurum est.

Fateor inquis, vulgò sic fit; commune id est præcipitium. At verò me cum confidero, non video quò pacto sic possim in transuersum agi, & abripi; nimis enim altè imbibitum mihi est in quacumque fortunâ stare Deo subditum, eiusque agnoscere imperia cuius beneficio datur frui. Itane verò? hanc de te audes spem præsumere? Verùm detine paululum præproperam fiduciam, & exemplo sapere si vis, sape alieno: eadem sanè quæ tu de te, de Eulogio quodam existimabat Daniel eremita, vir sanctitate conspicuus, sed, quod non frustra adicio, vir minime malus. Operæ pretium erit historiam rei pertexere, quam in Syllogo refert Paulus, vetus auctor Græcus, non græca fidei.

*Declara-  
tur exem-  
plo Eulogy.*

33

Paul. Syl-  
logi l. 3. c.  
& apud  
Causin.  
Tract. 2.  
Maxim. 5.

## §. VI.

*Exemplo Eulogy dicta confirmantur.*

*Eulogius  
dū pauper,  
sanctus &  
munificus.*

**I**Nter Thebaidis sylvas & rupes versabatur Eulogius, operamque suam fingendis faxis lapicida elocabat. Conditione plebeius & pauper; nobilis animo & virtute, meritisque in cælo opulentus.

34



opulentus. Dei cultum religionemque procurabat egregie, victu sobrius admodum, castus moribus, & præcipuâ quadam erga pauperes pietate. Domum enim ab opere diurno sub noctem redux, egenos vndique conquirebat, & eis quod laborando con- gesserat, magnâ sanè liberalitate pauper ipse cum pauperibus quasi æquo iure diuidebat. En vt vitæ sanctimonia, bonorum- que operum accuratio, non à statu diuitiisque, sed ab hominis animo dependeat.

35. Contigit fortè (fortunæ si locus detur) vt Eremicola quidam Daniel nomine, per deuia capeiens iter in Eulogium incideret; ab eoque, per summam beneuolentiam, noctem secum transactu- rus, in humilem quam incolebat casam est deductus; ibi pro viri- conditione, victu quidem paupere, sed omni humanitate con- dito, liberalissimè est exceptus. Placuit admodum Danieli, Eu- logij in re humili præclsa virtus, & indoles inter rupes tam be- nefica; indoluitque saxi versandis adhiberi tam munificas ma- nus. Multis itaque per tres septimanas precibus Deum flagitat, meliorem vt Eulogio sortem det; gloriosum id futurum Numini, & verò miseris egenisque vtile admodum, opes in tam benignas manus congerere, è quibus tam facile ad egenos, quasi è fonte riuui, defluerent. Orat, instat Daniel. Interim calo vox delabi- tur, abstineret sanè precibus, Eulogio benè esse pauperi; opes ei nocituras postulari. Nihil hisce mouetur Daniel; antiquum obtinet, efflictim rogat; de Eulogij virtute timendum esse nihil; de eius constantiâ cauere se, vadem sese constituere, animam- que se suam animæ Eulogij pignori opponere. Magna sanè hæc temeritas, dedocendus est importunitatem suam Daniel, vir vt iam videris minimè malus.

36. Quid sit: antra dum excauat Eulogius, scrutaturque educen- dis saxi montium viscera, en tibi ingentem auri thesaurum, in quem illabitur incautus, & fortunæ tantæ admodum antehac securus. Subitò diues fit Eulogius, & quod videbatur incredi- bile, subitò Eulogius esse desit, aliusque est à se. non iam pre- ces solitas Deo fundere, non hospites conquirere, non stipem erogare, non æs diuidere ei iam est animus: alias mente versat curas; totus in auro est; & qui miris incedebat heri gaudiis, iam tristi progreditur vultu, sollicitus vbi thesauros tam ingentes re- condat, vbi demum eos expendat, vt fortunæ tam fauenti veli-



fleetur, plenaque expandat vela. Nimis angusta & squallida videbantur Thebaidis resqua, quam vt istic sortem suam possit extendere, aut etiam conditionem præteritam dissimulare, aut fortunam in auro repertam tegere, ne in propatulum veniat, & sibi inuito detracta, addicatur fisco.

*Ad subli-  
miorē sta-  
tū aspirat.*

Itaque conuulsatis prout res ferebat omnibus, procul à patriâ fugam meditatatur. Constantinopolim adit Imperij caput, vbi in tantâ nationum vndique confluentium colluie, humilitatem pristinam dissimulare, nouamque sibi sortem fingere, & effingere, pecunioso præsertim homini, non videbatur admodum difficile. Neque verò tam erat hebes animi, vt primo statim die sese prodar rusticis adhuc imbutum moribus: militaribus prius, aulicisque quæ nobilem virum decent exercitiis, sese informandum tradit; & vt erat ingenio acri & ad pereipiendum facili, breui rusticitatem omnem exiit; diceres aulæ natum. Itaque iam totus alius in aulæ sese immittit pelagus, nescio quos natales fingit, inde ab extremis Thebaidos fortè deductos montibus; præferat optimatum amicitiam, & tum muneribus collatis, tum conuiuiorum, vestiumque splendore, tum clientum & seruorum copiâ, tum cultis castigatisque moribus, tantam in totâ aulâ gratiam (quid enim aurum non potest?) vt per plures euectus honorum militiæque gradus, tandem Prætorianis militibus, corporisque sui custodiæ à Iustino seniore Imperatore fuerit præfectus.

*Eulogius  
peruersus.*

Hic enim uero Eulogius vento fortunæ fruitur, omnium iam securus. Totus est in deliciis, sed & in sceleribus totus: quid cælum ferat, quid Deus exigat prorsus immemor: eò fertur quò præcipitem rapit libido; Dei honestique contemptus par.

*Christus  
ipse offensus.*

Horum interim inscius, intempestiue olim Eulogio beneuolus Daniel, intentus orationi vt solet, visu perterrefcit horrifico. Christum, plures inter Angelos instrumentis terrorem spirantibus armatos, conspicit: oculoque ad seueritatem composito & in Daniele intento, corpus ei quoddam ostentat, medias inter rosas voluptatibus exesum prorsusque dissolutum; illudque Danieli seuerus ingeminat: Hæcine est cura quam de fratris salute æternâ gessisti? huccine tua tandem recidère studia? Mox ad Angelos iustitiæ executores conuersus, Ite inquit, vadem agredimini illico, nec ei parcite qui se pignori obtulit temerarius. Obstupuit ad hæc Daniel, errorisque sui tandem pœnitens, agnoscit



noscit hoc portento Eulogium designari, cuius infaustam sceleratamque vitam Constantinopoli actam, eiusque præsentem statum Deo manifestante exactè intelligit. Nescit primò quo se vertat obstupefactus Eremita; denique ad Iudicis irati supplex pedes, procrastinationem iam iam in Eulogium serendæ sententiæ impetrat, donec quod sui est muneris paragat, Eulogiumque coram de criminibus moneat & verò etiam reprehendat.

40. Nec mora, Constantinopolim confestim pergit Daniel; Eulogium reperit; sed ita rebus in aulâ agendis, clientumque salutationibus impeditum, vt mensem integrum lacernoso Eremitæ ad salutandum Eulogium aditus non patuerit. Penetrauit tandem, & clam arbitris, diuini honoris accensus æstu, liberâ voce hominem aggreditur imperterritus; primò ei præteritæ fortunæ memoriam repræsentat, natales humiles, malleum trullamque in os obiicit, ac insignem deinde intolerandamque pro tot acceptis à Deo beneficiis ingratitude non sine stomacho exprobat. Excanduit enimvero Eulogius vt sese natalesque suos cognosci sensit: veritusque ne quod tanto studio tam diu texerat, hoc auctore veniret in propatulum, iratâ voce seruos conclamat: accurrunt illi: stomachatur Eulogius, & ecquid insanum ceritumque caput in conclaue intromiserint, pallidus iræque non satis capax, exclamat. Inuolatur ad has voces in Danielem vndique, & vi multâ protractum, baculis crudelem in modum excipiunt, semianimemque & sanguine vndique profusum, è domo tandem vi multâ expellunt.

*Admonitione spernit.*

41. Quid nunc agat spe sua frustratus Daniel? nihil prodesse monita cum videt, ad orandum rursus conuertitur; illudque tandem multâ cum prece lachrymisque orat, ad pristinam conditionem, humilemque statum redigi vt possit is, cuius prosperam sortem incautis precibus impetrarat. Agnoscis tandem Daniel temeritatem tuam? agnoscis tandem, fortunam mutare mores? agnoscit enimvero, & qui precibus malum procurauerat, precibus etiam petit medicinam. Orat denique & exorat. En fortunæ alteram sortem.

42. Moritur Iustinus Imperator. Iustinianus in imperio successor, aulæ suos sibi que notos clientes vt præficiat, Eulogium exauctorat. Hæc prima fortis cadentis vicissitudo. Interim fit vt

*Eulogius fortunâ deiectus.*

R r 2

Hypatius



Hypatius & Pompeius Anastasij ante Iustinum imperantis nepotes, nescio quò iure Imperium ambirent. Iustiniano vim & arma inferunt; turbatur plebs, plurimâque cæde totâ vrbe deceratur. Rebellium partes, iniuriæ sibi factæ indolens Eulogius sequitur; tandem Hypatius Pompeiusque effuso iam triginta milium pro partibus hinc & hinc stantium sanguine, in vincula abripiuntur, & in eos decreta mortis sententia, totam penitus coniurationem dissipauit. Eulogius sceleris sibi conscius, fugâ vitæ consuluit, desertis quotquot in vrbe possidebat opibus: iisque in fiscum conscriptis, cum nihil prorsus superesset, quo miseram vitam sustentaret, ecce tibi iam denuo factus est Eulogius: latebrasque vitæ suæ non satis securus tutas quærens, pristina repetit fugitiuus antra, & in veteres dilapsus latomias, veteres etiam sed non sine summo animi mœrore artes repetit.

*Ad paupertatem redit & ad virtutem pristinam.*

Hic eum insudantem vili operæ cum conuenisset Daniel, reuidens illico, Ecquid hocce rei est inquit? Tune es Eulogius? quid tibi cum faxis, quid tibi cum malleo, fortunæ fabricator egregie? An forte qui Regem egisti Constantinopolitanâ in scenâ leenicum, mutatis repente vestibibus comicum acturus Daum, in orchestram iam prodis, vt populo risum facias? Erubuit ad isthæ dicta Eulogius, & verò etiam, altum ingemuit; fatetur impudentiam, ingratitude non dissimulat, deprecatur pœnam culpæ, quam agnoscit. Rogat, Deum vt pro se exoret Daniel, non vt aulæ fortuna reddatur, sed vt laboris tam duri, operæque tam amaræ aliquod saltem detur leuamentum. Risit ad hæc Daniel, numquam Eulogio benignior, quam cum fuit immisericors. Vade inquit, & quod es, hoc certè sis. Dura paupertas necessaria tibi est, vt bene fit tibi: ne quæso decipiamur bis; sapiamus saltem propria possit tot mala, quæ vnicum hoc habent boni, sapere quod cautos doceant. Hic tuus est status, hæc tibi ad virtutem via, hæc tantum tibi & non aliâ cælum patet. Acquieuit Eulogius & sic sapuit.

*Virtutes quas status tuus exigit exerce.*

Videris tandem Auditores, optimam fortunam, pessimam hominibus n. etem ingerere; imo ingenerare? Plurima bona præstare posses, inquis, si opibus aflueres; posses quidem sed non præstares. Eulogius mihi iam testis est. Et verò an ea iam facis omnia, facere quæ posses bona? Certè patienter ferre iam posses paupertatem tuam: cur igitur quam potes patientiæ virtutem non exerceas?



ercēs? submissionem animi (en alterum virtutis exercitium) in humili constitutus sorte, emolumento sanè maximo potes exercere; cur tamen adeo turgidus es & superbus? Benevolentiam, humanitatem, gratitudinem exhibere potes benefactoribus tuis; cur tamen tam inurbanus es, agrestis, ingratus, asper & inconditus, linguâ procax, lentus manu, animo ferox & rusticus? si talis iam sis, pauper cum sis; Deus bone in quantam cum diuitiis insolentiam non assurgeres? quàm parum tibi attenderes immemor tui?

45. Misericordiæ opera exhibiturum te inclamas quæ Deus modo à te non exigit; & illa nequidem præstares opulentus, & opulentia interim vitia congereres. Neque misericors esses; neque tamen avarus, immodestus, tumidus, impudicus, superbus & impudens esse desineres, crescerent cum opibus scelera. Iam verò charitatis opera cum à te minimè requirat Deus, submissionis certè, humanitatis, benevolentia, tolerantia à te opera expectat. Hæc præsta bonorum operum si sis cupidus, quæ tum bona sunt, cum conditioni tuæ exæquantur. Age tandem gratias benefactori tuo quantum potes maximas; & dic *da quod vis, & quantum vis*. Crede mihi bene tibi admensus est Deus, nec assuetuo drachma deest vnica. Paulo plus adiectum, haud paulo plus fuisset mali. Lætus itaque pane tuo vescere quantumuis arido, & vt lætus comedas, illud intra dentes obmurmura tibi ipsi, *Dominus dedit*. Quod si verò etiam panis tam aridi & brevis, pars aliqua deperdatur, rursus dic, *Dominus abstulit*; & quidem is Dominus qui omnia dat & aufert *in pondere & mensurâ*.

Rr, TRACTA-